

tis Duaci sub ipsomet Patre BILLUART, Vicario Generali, ad instantiam RR. PP. Moderatorum Collegii nostri S. Thomae Duaci commissum fuerat R. Patri Provinciali electo, ut provideret de mediis disponendi per eruditum Theologum Ordinis nostri, Typisque edendi, ad communem usum Provinciae nostrae, Cursum Theologicum juxta mentem, & in quantum liceret, juxta litteram nostri Doctoris Angelici D. Thomae Aquinatis, insertis, pro re nata, Quaestionibus Historiam Ecclesiasticam spectantibus. Hoc consilium placuit Reverendissimo P. Magistro Generali, hujusque Operis executionem commisit Patri Magistro BILLUART; & jure merito, quippe Viro consummatae eruditionis ac summae Religionis, qui orationem studio praemittere solebat, & saepius, dum alii confabularentur, coram Altari prostratus divina contemplantur. Sed variis distractis muniis, tantum modicum consilio manum adhibere aliquantulum distulit.

Typis mandat Cursum Theologiae.

Ab anno 1746. usque ad ann. 1751. meis curis sub praelo sudavit istud grande ac mirabile Opus, continens 19. tomos in 8. cui titulus: *Summa S. Thomae, hodiernis Academicarum moribus accommodata, sive Cursum Theologiae juxta mentem, & in quantum licuit, juxta ordinem & litteram D. Thomae in sua Summa, insertis pro re nata Digressionibus in Historiam Ecclesiasticam. Ad usum Scholarum Thomisticarum. Leodii apud Eberardum Kints, S. R. E. Typographum cum Privilegio S. Caesareae Majest. Octo tomos de Virtutibus Cardinalibus, de Deo & Angelis, in annis 1746. & 1747. excusos, Serenissimo Ludovico Duci Aurelianensi primo Regii Sanguinis Principi dedicavit: hos ego obtulit Tomos dicto Principi, qui, antequam praelosubjicerentur, manuscriptum legere voluerat. Quanta benignitate & affabilitate me exceperit; quantis encomiis opus celebraverit; quot benevolentiae signa erga Auctorem exhibuerit, exprimere non valeo. Unum dicam, quod me honore & beneficiis cumulatum dimiserit, & in posterum cum Auctore nostro commercium habuerit litterarum gratissimarum, quas aservo. Anno 1748. prodire tres tomi in 1. 2. S. Thomae sub auspiciis Illustriss. ac Reverendiss. D. Guillelmi Delvaux, Iprensium Episcopi, qui Litteris & factis suum erga opus & Auctorem affectum saepius comprobavit. Anno 1749. eligitur Prior sui Conventus, sed se excusat. Eodem anno & sequenti Typis edidit sex tomos in 3. Partem S. Thomae, quorum tres primi dedicati fuerunt Illustriss. ac Reverendiss. D. Maximiliano Vandernoote, Gandensium Episcopo, & alii tres Reverendiss. D. Vigori de Brisis, antiquissimi & celeberrimi monasterii S. Vedasti Atrabati Abbati meritissimo. Illud Opus multum placuisse istis Praesulibus, sed praecipue Abbati & suo sodalio, solus ignorare potest, qui per antiquam Scholarum confederationem inter Vadestinos & Dominicanos ignorat. Anno 1751. tandem prodeunt duo ultimi tomi de Virtutibus Theologicis, Illustriss. ac Reverendiss. D. Dominico de Gentis Antuerpiensium Episcopo nuncupati, qui & hos & integrum opus singularibus praeconiis celebravit, ac suis Clericis commendavit. Nemo non miratur hujus Operis profundam eruditionem, Styli venustatem ac breviter, doctrinae tam in Moralibus, quam in Speculativis, puritatem & soliditatem: a nullo non laudatur & suscipitur tamquam fidele S. Thomae Commentarium; & ut verum dicam, nullus nostro aeo Scholae Thomisticae tot praestitit obsequia.*

Tertio eligitur Provincialis: Compendium suae Theologiae adornat.

Anno 1752. unanimi Electorum suffragio Provincialis tertio proclamatur. Opus certe grave Viro anoso, & praefirmitatibus ac assiduo labore viribus

hausto; illud tamen generose usque ad finem sustinuit, & laudabiliter adimplevit.

Anno 1754. Typis mandat Compendium sui majoris Operis in 6. tomos distributum & nuncupatum Reverendiss. P. Magistro Generali Antonino Bremond, suo Amico intimo. Hic illum saepe Romam advocaverat, imò Doctorem Cassanatensem nominaverat; sed Fratrum & Conventus sui amor semper prevaluit. In hoc Opere monitum dat Patri Concina, a quo imprudenter accusatus fuerat de laxitate super Quaestione de Bonis superfluis Clericorum, & de Simonia. Pari vigore iteratas vindicias suae Quaestionis, *De Relatione Operum in Deum* dirigit ad Patrem Maugis, Doctorem Lovaniensem, primas in fine primi tomi Compendii, alios anno elapso sub nomine *Ludovici Franc.* Tandem duobus extremis vitae annis, cum vix respiraret praeter continuos doloribus & debilitate pectoris, ad solatium & tedii vitandam causa scripsit hos Tractatus de Opere 6. dierum, de Statu Religioso, & de Mysteriis Christi, in Supplementum sui majoris Operis. Sed dolendum, quod morte praecipitatus Tractatum de *Novissimis Hominis* imperfectum reliquerit, ac solam primam Dissertationem adumbraverit. Mense ante mortem, cum non valeret legere Sacrum, quotidie celebrare faciebat, & saepe SS. Eucharistiam accipiebat; sed jam sentiens imminere dissolutionem sui corporis, judicium tamen sanum servans usque ad extremam vitae periodum, Sacramenta extrema sibi dari, ac Indulgentiam Rosarii impetiri peti.

Moritur. Ejus Epitaphium.

Die 20. Januarii anno 1757. cum apud ipsum pernoctassem, de Deo colloquentes, medio octavae matutinae, aetatis annum 73. inchoans, vitam, meritorum, pleniorum quam dierum, placida morte mutavit; & sepultus est sequenti die sub marmore albo in medio Sanctuarii, super quod sequens Epitaphium in perpetuum gratitudinis ac antiquae Viri amicitiae argumentum moerens apposui.

HIC JACET R. AC EXIMIUS PATER CAROLUS Renatus Billuart.

Revinensis hujus Conventus Alumnum, ac quintus Prior, Collegii S. Thomae Duaci Regens, S. Theologiae Doctor, necnon Provinciae Gallo-Belgicae ter Provincialis. Vir scriptis & virtutibus clarus, Religioni & Orbi commendatissimus. Sed eheu! obit 20. Januarii 1757. Aetatis 73. Professionis 55. Sacerdotii 49. Precare, morituro, ut requiescat in pace.

Videte, quoniam non sibi soli laboravit, sed omnibus exquirentibus veritatem; & quod non minus verè de eo dicitur, ac de filio Oniae, (Eccl. 50.) Sacerdos, qui adeptus est gloriam in conversatione Gentis, & ingressum domus & atrii amplificabit. Hic vir omni laude major ac immortalitate dignus jugum Domini ab adolescentia sua portavit, omnesque adunavit dotes, Virum, Religiosum, Praelatum & Doctorem perficientes. Judicii ac consilii soliditatem cum immatura aetate, orationem & studium in solitudine, prudentiam & zelum in Regimine, altam scientiam & profundam humilitatem in Cathedris miro foedere sociavit. Gratus ac beneficus, qui publice obligavit omnes, privatim singulos; Concordiae amator, salutis animarum Zelandor, ac Verbi divini facundus Praedicator, bonus Pastor, virtutum exemplar, ac Doctorem Doctorem Patriae & exteris charus; Conventui munificus; Religioni commendatissimus, ac in Scholis celeberrimus. Ergo Vir, Religiosus, Praelatus, & Doctor Posteris aemulandus: Haec dum legis & obspiciscis, luge decus orbi ereptum, lauda virtutis prodigium, aeternam ei precare requiem, qui ut Ecclesia, Religio, & Patria quiescerent, numquam quievit.

Parce, Lector tenuitati styli & brevitati dictionis. Elegantiorem & fusiorem calamus meruisset talis ac tantus Vir; sed elegantiae minus, quam veritatis studii.

DIS-

DISSERTATIO PROEMIALIS DE SACRA DOCTRINA, SEU THEOLOGIA.

D. Thom. 1. Part. Quest. 1.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex sit Theologia?

Nomen Theologiae desumptum est a duplici voce graeca *Theos* & *Logos*, hoc est Latine, sermo seu consideratio de Deo. Unde quilibet sermo seu consideratio de Deo, sive solo lumine naturali, sive supernaturali nitatur, sive simplici assensu, sive discursu habeatur, secundum nominis etymologiam, potest dici Theologia. Secundum verò nominis significationem Theologia importat considerationem discursivam, quae si principiis solo lumine naturali notis nitatur, dicitur Theologia naturalis, seu Metaphysica; si principiis lumine supernaturali fidei notis, dicitur Theologia supernaturalis, de qua hic agimus, & describi potest: *Doctrina rerum divinarum, ex principiis fidei immediate revelatis conclusionibus deductis.*

Dividi solet ex parte subjecti, ex parte objecti, & ex parte modi. Ex parte subjecti dividitur in Theologiam beatorum & Theologiam viatorum. Prima innuitur lumine supernaturali gloriae, & est duplex. Una, quae ab Augustino vocatur *cognitio matutina*, est ipsa visio beatifica, quae Beati clarè videtur in Verbo omnia divina mysteria: est intuitiva, & discursiva tantum eminentè seu virtualiter. Altera, quae vocatur ab Augustino *cognitio vespertina*, est quae Beati ex principiis lumine gloriae cognitis deducuntur vi luminis naturalis conclusionibus circa divina mysteria, easque cognoscunt vel per species a Deo infusas, vel proprio labore partas in via: est discursiva formaliter nec substantialiter differt a nostra.

Ex parte objecti dividitur in speculativam, & practicam seu moralem: quidam addunt polemiam. Speculativa est, quae sistit in sola consideratione rerum divinarum, ut Mysteriorum Trinitatis, Incarnationis, divinarum attributorum. Practica, seu moralis est, quae tractat de rebus ad directionem morum pertinentibus, ut de actibus humanis, de peccatis & virtutibus, de legibus, de Sacramentis, &c. Polemica est, quae agit de rebus controversis: concidit cum speculativa vel practica, secundum quod materia controversa est speculabilis, vel moralis.

Ex parte modi dividitur in positivam & scholasticam. Positiva est, quae versatur circa SS. Scripturas, Traditiones, Concilia, Canones, SS. Pontificum Decreta, SS. Patrum Opera, antiquitatis facta historica, & praxim; ea expendendo, penetrando, vera a falsis discernendo, sensum legitimum explicando, mysteria fidei & veritates revelatas ex eis eruendo, & ex veritatibus revelatis alias deducendo: & haec omnia stylo fusiore, elegantiori, & quasi oratorio, atque regulis Dialecticis nimis accommodato. Dicitur positiva: tum quia principia fidei ponit & supponit tanquam theses & positiones, non probat; tum quia Scripturae, Traditiones, Concilia, Canones, &c. ex quibus procedit, sunt Juris positivae.

Scholastica eadem omnino praestat, sed diversa methodo, nempe, dicendi genere magis conciso, subtiliori, & accuratiori, juxta regulas Dialecticæ, terminos exponendo, statum quaestionis aperiendo, definiendo, dividendo, syllogizando, objecta solvendo; sicutque pariter possit dici positiva, cum & principia fidei supponat, non probet, & ex Scripturis, Traditionibus, Conciliis, &c. pariter procedat: sed dicta est scholastica, eo quod ejus methodus usurpetur in Scholis & Academicis.

Non differunt ergo inter se positiva & scholastica essentialiter & penes objectum, idem enim habent, sed accidentaliter tantum penes diversam methodum; sique hallucinantur, qui respondent Theologiam positivam in notitia veritatum revelatarum contentarum in Scriptura, Traditionibus, &c. scholasticam in deductione discursiva conclusionum ex veritatibus revelatis; sic enim positiva non distingueretur a Fide, nec esset Theologia, ut patet ex definitione Theologiae. Verè ergo discurret positiva, & ex revelatis alias veritates inferet & deducit, sed non ita accurate sicut scholastica, & in eo tantum differunt. Haec autem accuratior methodus primum usurpata cepit 8. saeculo a S. Joanne Damasc. incrementum habuit 12. saeculo à Petro Lombardo Episcopo *Theol. Billuart. Pars Prima.*

Parisienis, qui ideo dicitur Magister Sententiarum, & tandem complementum 13. saeculo a S. Thoma.

Hic communiter additur mystica seu affectiva, quae non tam rationis discursus, quam simplici mentis intuitu, in oratione potissimum, res divinas sapit & contemplantur.

De variis ergo Theologiae dotibus in hac Dissertatione praevidendum suscipimus: breviter quidem, ne diutius in lumine haereamus, cum graviora nos expectant.

ARTICULUS II.

Utrum praeter Philosophicas, seu naturales disciplinas Theologiae sit necessaria?

Sacredus Thomas quaestionem proponit sub nomine *sacrae doctrinae*, seu doctrinae, quae per revelationem habetur. Hinc controversia est inter ejus Interpretes, quid per sacram doctrinam intelligat, an Fidem, an Theologiam; an doctrinam sacram in communi, proit abstrahit a Fide & Theologia.

Hoc ultimum amplectitur Cajetanus, & post ipsum Serra, & alii: quia S. Doctor de necessitate Fidei agit alibi; nempe 2. 2. Et doctrinam, de qua hic agit, probat esse necessariam ad salutem; quod de Theologia intelligi non potest, cum cognitio rerum divinarum per fidem sufficiat ad salutem. Nec obstat, quod in sequentibus articulis S. Doctor agat de Theologia; quia ordo doctrinae postulat ut a communibus incipiat, deinde descendatur ad particularia. Haec sententia est probabilis.

Joannes a S. Thoma, Sylvius, & plures alii e contra contendunt, S. Thomam per sacram doctrinam in hoc primo articulo intelligere Theologiam proprie sumptam; quia tum in proemio hujus quaestionis, quae in sequentibus articulis de ea ipsa doctrina, quam in hoc primo articulo docet esse necessariam, querit an sit scientia, an sit sapientia, an sit argumentativa, &c. quod non potest intelligi de fide, neque de doctrina in abstracto, proit est communis fidei & Theologiae. Neque obstat, quod S. Doctor art. 9. & 10. querat, an eadem doctrina sacra debeat uti metaphoris, an sub una littera habeat plures sensus, quod non videtur posse intelligi de Theologia; sed de Scriptura sacra: etenim Scriptura sacra est bona pars Theologiae, sique rite queri potest, an Theologia proit continet Scripturam sacram, utatur metaphoris, & sub una littera habeat plures sensus. Ad rationem oppositam Cajetani respondebitur modo. Juxta hanc ergo interpretationem

Dico 1. de lege Dei ordinaria, praeter Philosophicas disciplinas, necessarium fuit ad salutem esse in Ecclesia doctrinam quandam secundum revelationem divinam, hoc est, Theologiam spectantem quoad substantiam, proit abstrahit a positiva & scholastica. Non tamen est necesse, quod quilibet homo sit Theologus: q. 1. art. 1. c.

Prob. 1. pars. 1. Homo ordinatur à Deum sicut ad quemdam fidem, qui comprehensionem rationis excedit, secundum illud Isai. 64. *Oculus non vidit, Deus absque te, quae praeparavit expectantibus te*: atqui finem oportet esse praecognitum hominibus, quippe qui, cum cognitione ducantur secus ac cetera animalia, suas intentiones & actiones debent ordinare in finem: Ergo praeter naturales disciplinas necessarium fuit ad salutem, esse doctrinam secundum revelationem divinam, seu Theologiam. 16.

Dices, finem hunc supernaturalem cognosci per fidem: ergo superflua Theologia.

R. & simul confirmatur conclusio: Equidem finis supernaturalis cognoscitur per fidem dum habetur; sed secundum communem divinam providentiae cursum, fides haberi, propagari, conservari, & defendi non potest absque Theologia, per quam, inquit S. Aug. lib. 14. de Trin. cap. 1. *Fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Etenim fides, quae juxta Apost. ad Rom. 10. est ex auditu, & auditus per verbum Dei, gignitur, nutritur, defenditur, non per simplicem mysteriorum narrationem, sed per discursus, congruentias, exempla, & varia alia momenta, quibus Scripturarum obscuritas elucidatur, Traditio probatur,

A mys-

mysteriorum credibilitas demonstratur, humana inconstantia sistitur, hereticorum impugnantium cavillationes, astutiae & sophismata deteguntur & refelluntur; quod totum est proprium Theologiae: ergo Theologia gignit, nutrit, defendit fidem, non directè quidem quasi eam produceret, sed indirectè removendo prohibentia.

Hæc confirmant verba Apostoli ad Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam Apostolos, alios Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi... ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, & in astutia ad circumventionem erroris. Et ad Tit. 1. Oportet Episcopum esse... amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidem sermonem: ut poens sit exhortari in doctrinam sana, & eos qui contradicunt, arguere... sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores... quos oportet redargui: qui universas domos subvertunt, docentes que non oportet.*

Prob. 2. *Ibid.* Quamvis homines ad finem supernaturalem non ordinarentur, nec indigerent instrui de mysteriis, quæ naturalem intelligentiam superant, nihilominus foret ipsis necessaria doctrina, per revelationem procedens, seu Theologia, ad ea quæ de Deo ratione humana investigari possunt: Ergo. Probatur Antecedens: Si veritates de Deo naturaliter cognoscibiles soli rationi absque revelatione investigandæ relinquuntur, a paucis, & per longum tempus, & cum admisione multorum errorum perciperentur: A paucis, propter multorum vel incertitudinem, vel pigritiam, vel alias vitæ civilis occupationes necessarias. Ad longum tempus; tum quia scientia de Deo supponit alias scientias naturales, unde Metaphysica, quæ est de Deo, ponitur ultimo loco; tum quia juvenus passionibus implicata non est tanto studio idonea, sicut nec plurimum ætas proventor aliis negotiis detenta. Cum admisione multorum errorum, propter ingenii humani debilitatem, phantasmatum & præjudiciorum permixtionem, diversarum Doctorum opiniones, & sophistarum argumenta: unde ipsi Philosophorum Gentilium duces & Coriphei in varios & turpissimos circa Deum errores prolapsi sunt. Ergo.

Nec obstat, quod S. Thomas ex hac ratione concludat tantum, quod Theologia sit necessaria, ut scilicet hominibus conveniens & certius proveniat, quod utilitatem dumtaxat, non necessitatem simpliciter, significat. Non obstat, inquam; quia *Tò convenientius & certius non sumuntur ibi comparative, sed positive*, ut patet ex tribus inconvenientibus, quæ, juxta S. Thomam, sequerentur sine Theologia. Velsi sumantur comparative comparatio non refertur ad modum salutis consequendæ, quasi sine Theologia sit verus, licet minus conveniens & minus certus, sed ad ipsam cognitionem, ita ut sensus sit, salutem provenire cum cognitione, convenientiore, quatenus ad plures extenditur, brevius comparatur, & ab errore est immunis.

Dixi in conclusione: *de lege Dei ordinaria*; quia certum est, quod, per absolutam Dei potentiam, fides rerumque divinarum cognitio alia via quam Theologiae auxilio, haberi potest & salvari.

Secunda pars patet; quia quilibet homo non debet esse Theologus ut salvetur, sed sufficit ei fides, qua simpliciter proficitur ea, quæ omnibus sunt necessario credenda: unde S. Aug. loco citato ait: *Hæc scientia plurimi non possunt fideles, licet fide polleant, quæ sola sufficit.*

Si dicas, neminem posse servare fidem, nisi iudicet ipsius mysteria esse credibilia, saltè ex aliquo motivo generali, puta, quia Ecclesia ita jubet & tenet; hoc autem iudicium esse actum Theologiae. R. esse quidem aliqualem actum Theologiae, sicut est etiam in parentibus rusticis suos filios instruuntibus sed imperfecta, à quo non potest dici simpliciter Theologus; quia absoluta denominatio desumitur a forma, quæ perfectè inest.

ARTICULUS III.

De antiquitate, utilitate, & necessitate Theologiae Scholasticæ.

Hunc articulum propono adversus hæreticos nostri temporis, qui atrocibus injuriis & calumniis Theologiam scholasticam impugnant; & contra nonnullos Catholicos, qui eam plus æquo depriment.

Ut autem tollatur æquivocatio, observandum est, Theologiam scholasticam posse considerari dupliciter. 1. Secundum se, prout abstracta a methodo magis vel minus accurata. 2. Quoad statum, seu secundum perfectiorem methodum, qua nunc traditur in scholis, à quibus dicta est scholastica. Hujus ortum in 1. art. assignavimus 8. sæculo, incrementum 12. complementum 13. De antiquitate ergo dumtaxat Theologiae scholasticæ

secundum se, de utilitate verò & necessitate utriusque hic est dicendum.

Dico 1. Theologia scholastica secundum se semper viguit in Ecclesia, eaque est & semper fuit necessaria.

Prob. utraque pars: Theologia scholastica secundum se nihil est aliud, quam Theologia secundum substantiam, de qua superiori articulo; atqui Theologia quoad substantiam, de qua superiori articulo, semper viguit in Ecclesia, est & fuit semper necessaria; ut probatum est: Ergo. Probatur Major: Theologia scholastica secundum se nihil est aliud, quam scientia ex principiis revelatis conclusiones methodicè deducens, abstrahendo à magis vel minus accurata methodo: atqui hæc est ipsissima Theologia quoad substantiam, de qua articulo superiori, ut patet ex definitione Theologiae quoad substantiam data art. 1.

Confirmatur. Theologia scholastica secundum se nihil est aliud, quam Theologia argumentativa; atqui Theologia quoad substantiam est argumentativa: ergo. Probatur Minor: Theologia quoad substantiam est scientia, ut probatur infra; atqui omnis scientia est argumentativa & discursiva: ergo. *Ibid.* art. 8. c.

In confirmationem totius assertionis facit, quod Christus, Apostoli, & Patres priorum seculorum Theologiam scholasticam secundum se, seu aliqualem usum Theologiae scholasticæ adhibuerunt ad instructionem fidelium, ad conversionem Judæorum & Gentilium, & ad impugnationem hæresum.

Sic Christus Matth. 22. probat Judæis suam Divinitatem ex illo Davidis Ps. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sic concludens: si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?* Et Matth. 19. infert indissolubilitatem matrimonii ex illo Genes. 2. *Propter hæc dimittet homo patrem & matrem, & adheret uxori suæ, sic concludens: quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

Paulus 1. ad Cor. 15. ex resurrectione Christi argumentatur ad resurrectionem communem probandam: & ad Rom. 11. gratiam non dari ex operibus, ex eo quod si daretur ex operibus, jam non esset gratia. *Ibid.*

Patres priorum seculorum, SS. Justinum, Clementem Alexandrinum, Athanasium, Hieronymum, Augustinum, & alios Theologiam scholasticam secundum se, seu aliqualem usum Theologiae scholasticæ ad instructionem fidelium, Gentilium conversionem, & hæresum impugnationem feliciter adhibuisse, evincunt passim eorum scripta.

Dico 2. Theologia scholastica quoad statum, seu secundum accuratiorem methodum, prout nunc traditur in scholis, non est necessaria Ecclesie; est tamen valde utilis.

Prima pars patet; quia pluribus sæculis Ecclesia stetit & floruit sine auxilio hujus acutiore methodi scholasticæ, prout nunc traditur in scholis, cum, ut dictum est, ortum habeat à S. Joanne Damasceno 8. sæculo.

Secunda pars etiam patet, 1. Quia per hanc accuratam Dialecticam egregie fides & Religio gignitur, nutritur, defenditur, ut constat, tum experientia tot insignium virorum, qui eam feliciter adhibuerunt contra profanas hereticorum novitates, tum ex ipsa natura accurate Dialecticæ: etenim dicere stylo conciso, simplici, & aperto, resecata verborum proficitate, terminorum æquivocationes tollere, statum questionis aperire & figere, definire, dividere, syllogizare, objecta solve, hæc inquam, quæ sunt propria Theologiae scholasticæ secundum accuratam Dialecticam, multum juvare ad veritatem suadendam & defendendam, nemo non videt. 2. Quia eam probant & laudant SS. Pontifices & Concilia: Xystus V. in Bulla, qua S. Bonaventuram inter eximios Ecclesie Doctores recenset, multis encomiis celebrat Theologiam scholasticam in scholis tradi solitam, & inter cætera eam vocat *instructum fidei propugnaculum*: eam pariter celebrant Concilium Lateranense IV. circa Petrum Lombardum, & Viennense.

Dices 1. Apostolus ad Coloss. 2. & SS. Patres passim impugnant Philosophiam, & modum ejus disputativè procedendi: Ergo.

R. ex cap. 2. ad Coloss. lect. 2. Philosophiam, & ejus methodum improbari ab Apostolo & SS. Patribus duplici ratione. 1. Quatenus ea abutuntur homines in deceptionem aliorum & in fidei detrimentum; non vero secundum se, & in quantum adhiberi potest in ipsum fidei adiutorium: unde ipsemet Apostolus ad Titum vult, Episcopum esse potentem exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere; quod facilis fit ministerio Philosophiæ & ejus methodi. (*Ibid.* & hic art. 5. in arg. sed c. & ad 2.) 2. Improbari Philosophiam in quantum vult dominari Fidei, metiendo ejus mysteria rationi humane secundum elementa hujus mundi, non autem in quantum vult ei inservire; ea enim utitur Theologia, non tanquam superiore, sed tanquam inferiore & ancilla, id est, instrumento, juxta illud Proverb. 9. *misit ancillas suas vocare ad aream.*

Di-

Dices 2. Multi sunt abusus in Theologia scholastica; itè multæ frivolæ & inutiles quæstiones; itè stylus incultus & barbarus: Ergo.

R. ad primum: quosdam irrepsisse abusus, non ex ipsius Theologiae natura & conditione, sed ex ipso hominum vitio: unde corrigendi sunt abusus, non verò damnanda ipsa scientia. Ad secundum pariter, si quædam inutilia inserantur, reseccanda sunt tanquam luxuriantes rami, ipsa tamen arbor servanda. Cæterum plures quæstiones in Theologia sunt quidem mulierculis & indoctis inutiles, quæ tamen proventoribus sunt utilissimæ. Insuper ad plures, quæ videntur merè Philosophicæ, nos coëgit hereticorum ipsorum pervercia. Ad tertium: Scholastici usurpant stylum simplicem, ne verborum difficultatem superaddant rerum percipiendarum difficultati, quæ maxima est. Quod si quandoquidem usurpant terminos minus cultos, & aliquam barbariem redeolentes, ad claritatis & brevius mentem suam aperiendam, neminem movere debet, cum id sit commune omnium artium, inquit Tullius l. 1. Acad. Unde August. lib. 4. de Doct. Christiana cap. 81. *Bonorum ingeniorum, inquit, insignis est in doles in verbis verum amare, non verba. Quid enim prædest clavis aurea, si aperire, quod volumus, non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest? Quando nihil querimus, nisi patere quod clausum est.* Lege D. Greg. in prælatione sue Moralæ.

Dices 3. Apostoli & Patres priorum seculorum non adhibuerunt Theologiam scholasticam, qui tamen egregie Fidem & Religionem propagarunt & propugnaverunt: ergo est inutilis, imò reprobanda tanquam novitas perniciosa in Ecclesia.

R. 1. Semper viguisse in Ecclesia aliquem usum Theologiae scholasticæ, ut probavimus conclusionè prima, eumque interdum accuratius adhiberit fuisse, prout occasio requirebat, præsertim dum erat cum hæreticis decertandum, ut patet ex scriptis S. Hieronymi adversus Helvidium, Jovinianum, & Vigilantium, & S. Augustini contra Academicos, Manicheos, Donatistas, & Pelagianos, ita ut ipsi Augustino Cresconius Dialecticam & peritiam disputandi exprobraret, cui S. Augustinus lib. 1. contra ipsam cap. 13. respondit: *Si noxia sunt, quare hoc facis? si non sunt, quare arguis?* Hic S. Doctor lib. de Doct. Christiana cap. 13. ait: *Disputationis disciplina ad omnia genera questionum, quæ in literis sanctis sunt penetranda & dissolvenda, plurimum valet: tantum ibi cavenda est libido rixandi, & querelis quædam ostentatio decipiendi adversarium.* Et D. Basilii in cap. 2. Isaie. *Dialectica, inquit, instar muri est dignatibus, quod ea non sinit facile decipi, & quorumlibet incursionem patere.* Et Clemens Alexand. l. 1. Stromatum: *opem fert Dialectica, ne prosternatur ab hæresibus, quæ faciunt incursionem.*

R. 2. ex Opus. 70. q. 2. art. 3. ad 1. Ut totum, quod est fidei, totiusque mundi mirabilis conversio, non humane potentie aut sapientiæ tribueretur, sed Deo, voluit Deus, ut primitiva Apostolorum, eorumque discipulorum prædicatio nascente Ecclesia esset saltè regularitèr in infirmitate & simplicitate: sed, sicut plantata & firmata fide per solam virtutem divinam, mundique conversione facta, voluit quod potentia secularis ad Religionis hujus conservationem inserviret; ita voluit, quod sapientia secularis ad eundem finem ancillaretur, ut ostenderet per victoriam fidei mundum esse Deo subjectum, & quantum ad potentiam, & quantum ad sapientiam, unde neganda est consequentia argumenti; dato enim quod methodus scholastica sit nova, non ideo est reprobanda tanquam novitas perniciosa; tum quia hanc novitatem exigebat mutatus rerum status; tum quia est novitas methodi tantum, & non dogmatis, quæ sola cavetur in Ecclesia.

Dices 4. Studium Theologiae scholasticæ evacuat devotionem, quatenus propter vehementem mentis applicationem exhaurit omnes spiritus, ita ut homo post studium remaneat aridus & quasi insensibilis ad omnia pietatis motiva: unde S. Th. 2. 2. q. 83. art. 3. ad 3. notat, quod in simplicibus & mulieribus devotio magis abundat, quam in aliis: Ergo.

R. 1. Hoc argumentum æquè militare contra alias scientias ac contra Theologiam scholasticam, ideoque nimis probare. 2. Concedo Antecedens de devotione sensibili, quia oritur naturalitèr ex humiditate complexionis, qualis est in mulieribus, & quæ per studium exsiccat. Nego de devotione solida, 2. 2. q. 188. art. 5. o. quin imò hæc maxime jurat studium Theologiae scholasticæ, uno modo directè illuminando intellectum circa mysteria fidei & præcepta, tum divina quam ecclesiastica, illa magis ac magis penetrando, illorum credibilitatem exponendo, istorum verò sanctitatem, necessitatem, utilitatem examinando, probando; unde fit, quod voluntas, quæ est potentia coeca sequens ductum intellectus, tenacius divinis inhereat & præcepta diligenter adimpleat: in quo sita est solida devotio. Alio modo indirectè, in quantum studium Theologiae removet impedimenta solide devotionis. Et 1. impedit errores, in quos devoti indocti sæpe labuntur: sic legitur in Collationibus Patrum Collat. 10. cap. 4. quod Abbas Serapion propter simplicitatem incidit in *Theol. Billuati. Pars Prima.*

errorem Antropomorphitarum, id est, eorum, qui Deum habere formam humanam arbitrantur. 2. Valet ad vitandam carnis lasciviam, quatenus animum averit a cogitatione lascivie, & carnem macerat propter studii laborem. Unde Hieronymus dicit ad Rusticum monachum libr. de vivendi forma circa medium: *ama scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis.*

Ex dictis colliges, quam immeritò, quam insolè nostrates heretici Theologiam scholasticam & Doctores scholasticos probri & injuriis omnigenis affecerunt. Wiclephus vocat Academicas catholicas *Castra Cænitica*; Lutherus, *Antichristi lupanarias*; Calvinus vocat Doctores scholasticos *Asinos corruos, bestias bipedes*, &c. imò ipse Jansenius (infausto sanè eventu) in libro prooemiali eos cor. inuò inculpat negligentia, oscitantia, temeritatis, effrenatae licentiæ, &c. Hæc illi & plura alia, pessimè quidem, suis tamen rebus providè, cum probè viderent invictissimis omnis generis telis & argumentis, ex Theologia scholastica depromptis, sua falsa dogmata everti & profligari: unde illud celebre Bucerii: *Tolle Thomam, & dissipabo Ecclesiam.*

ARTICULUS IV.

Utrum Theologia sit verè Scientia, eaque subalternata scientiæ Dei & Beatorum.

Dico 1. Theologia nostra est verè & propriè Scientia quoad substantiam, sed imperfecta quoad statum, defectu evidentie actualis. *Hic art. 2. o. in 1. a. 1. q. 1. art. 3. q. 2. & opus. 70. q. 2. art. 2. Ibid.*

Prob. 1. evertendo fundamentum adversariorum: -Si Theologia nostra non esset verè scientia quoad substantiam, ideoque esset, quia caret evidentia actuali; atqui hæc ratio mla est: ergo. Major est adversariorum, & patet, quia habet alias conditiones requisitas ad Scientiam, nimirum, quod conclusio deducatur ex præmissis certis, & immutabilibus. Probatur Minor: Ad rationem scientiæ subalternatæ non requiritur evidentia actualis, sed sufficit radicalis: atqui Theologia nostra est subalternata Theologiae Dei & Beatorum, ut dicam modo: ergo. Probatur Major: scientia subalternata in absentia subalternantis est vera scientia quoad substantiam; atqui scientia subalternata in absentia subalternantis non habet evidentiam actualem sed radicaalem tantum, in hoc sitam, quod, cum procedat ex principiis manifestatis in scientia subalternante, petat esse illi conjugi, & in illa conjunctione habere evidentiam actualem suorum principiorum: Ergo. Probatur Major: scientia subalternata in absentia subalternantis, cum procedat ex principiis manifestatis in subalternante, ex natura sua petit & inclinatur illi conjungi, ut habeat evidentiam actualem suorum principiorum, sicut jam dictum est, quia unumquodque inclinatur ad perfectionem sibi debitam & naturalem; atqui, si non foret scientia in absentia subalternantis, non inclinaretur huic conjungi: Ergo. Probatur Minor: si scientia subalternata in absentia subalternantis non esset scientia, dum subalternanti conjungeretur, foret scientia, siquæ destrueretur; atqui nihil inclinatur ad sui destructionem: Ergo.

Confirmatur hæc ratio: Ad veram demonstrationem, quæ est actus scientificus, sufficit, si constet præmissis radicalitèr per se notis, id est, quæ possint resolvi in principia actualitèr per se nota & immediata: alias vix ulla daretur demonstratio, cum vix ullus sit syllogismus, cujus præmissæ non sunt probandæ per alias notiores: Ergo similiter scientia.

Igitur Theologia nostra, sicut omnes aliæ subalternatæ, de se petit resolvi in principia evidentia: quod si de facto non resolvantur, ideoque evidentiam actualem non habeat, id non accidit per se & defectu sui, sed per accidens & ratione status vite seu subjecti in quo est, quod caret subalternante; & ideo dicimus, esse imperfectum quoad statum, quod est secunda pars conclusionis, veram tamen quoad substantiam. Sic infans est verus homo quoad substantiam, imperfectus quoad statum. Sic gratia habitualis in penitente, qui relabitur, est quantum ex se qualitas difficile mobilis, proindeque verus habitus quoad substantiam, est autem ratione subjecti facile mobilis, ideoque imperfectus quoad statum.

Prob. 2. Theologia est unus ex habitibus intellectualibus, cum infallibiliter perficiat intellectum circa verum: atqui non est ars, aut prudentia, cum non versetur circa agibilia aut factibilia, & possit esse optimus Theologus, qui sit pessimus artifex, aut homo valde imprudens; neque est habitus primorum principiorum, cum versetur circa conclusiones; neque fides, cum versetur circa mediata revelata: ergo Scientia, &, ut dicemus infra, Sapientia.

Dices 1. S. Th. q. 14. de veritate art. 9. dicit, quod *omnis scientia in visione rei præsens perficitur.* Et in 3. Dist. 33. q. 1. art. 2. questionum. 4. Quod, *si esset aliqua scientia, quæ non posset reduci ad principia naturalitèr cognita, non es-*

A 2

set

set ejusdem speciei cum aliis, neque univoce diceretur scientia.

R. ad primum S. Thomam loqui de scientia perfecta quoad statum, ut patet ex hoc termino *perfectiatur*. Ad secundum S. Thomam loco citato probat, virtutes infusas differre specie ab acquisitis; in cuius probationem adducit exemplum de scientiis; & dicit, quod si esset aliqua scientia, qua non procederet ex principis lumine naturali notis, sed supernaturali, differret specie à scientiis naturalibus: ex quo sequitur dumtaxat, quod nostra Theologia non sit ejusdem speciei cum scientiis naturalibus, nec continetur ab eodem genere proximo; non autem, quod non sit vera scientia: sicut ex hoc, quod virtus infusa distinguatur specie à virtute acquisita, non sequitur, quod non sit vera virtus: & certe de mente D. Th. nullatenus est dubitandum; siquidem tribus locis in margine citatis constanter resolvat Theologiam esse scientiam, & solvat præcipuum argumentum adversariorum, petitum ab evidentia.

Dices 2. juxta Aristotelem & omnes Philosophos, de ratione Scientia est, quod sit evidens: ergo.

R. D. Antecedens (*Hic ibid. ad 1. & opusc. cit. ad 5.*) de ratione Scientia est, quod sit evidens evidentiæ radicali vel actuali, C. evidentiæ actuali, subdistinguo, de ratione Scientia quoad statum, C. de ratione Scientia quoad substantiam, N. Solutio patet ex dictis.

Repones: juxta D. Thom. & Thomistas, fides & scientia non possunt esse in eodem intellectu de eodem objecto; atqui si evidentiæ radicalis sufficit ad veram scientiam; poterit esse cum fide in eodem intellectu de eodem objecto: ideo enim non se compatiuntur, quia una est obscura, altera evidens: Ergo.

Respondent multi Thomistæ, Majorem esse intelligendam de scientia clara & actualiter evidenti; sique Theologiam nostram, que est tantum evidens radicaliter, posse stare cum fide in eodem intellectu de eodem objecto. Respondent alii, concessa Majori, negando Minorem; quia, inquit, non solum fides & scientia se excludunt, quia fides est obscura, & scientia evidens; sed etiam quia fides facit assentire veritatibus immediate revelatis propter solum auctoritatem dicentis; Theologia vero facit assentire veritatibus mediate revelatis, propter rationem deductam ex principis. Implet autem, quod quis assentiat veritati propter solum auctoritatem dicentis, & simul propter rationem deductam ex principis: cum *Ly sola auctoritas* excludat omne aliud motivum. Unde, si sit propositio immediate revelata, quam etiam aliquis ex aliis immediate revelatis per discursum deducat, habebit Theologiam de illa, non fidem, quia illi non assentietur propter solum auctoritatem dicentis, sed etiam propter medium demonstrativum. Utraque solutio est probabilis.

Dices 3. Non datur scientia proprie dicta de singularibus: atqui Theologia versatur circa singularia, v. gr. circa Christum, ejus Incarnationem, Passionem, B. Virginem, &c. Ergo.

Respondenti posset 1. Theologiam non versari circa singularia formaliter ut singularia sunt, sed circa eorum quidditatem, que quidem in uno tantum individuo reperitur: sicut Philosophia tractat de Sole, non ut est singularis, sed ejus quidditate, que est, in hoc uno individuo. (*Hic ibid. ad 2.*) De aliquibus autem singularibus ut de gestis Abraham, Isaac, & Jacob, & similibus, agit ut singularia sunt, non tanquam de objecto principali; sed introducuntur tum in exemplum vite, sicut in scientiis moralibus; tum ad declarandam auctoritatem illorum, per quos ad nos divina revelatio processit, super quam fundatur sacra doctrina.

R. 2. D. Antecedens. Non datur scientia, proprie dicta, de singularibus præcisè quia sunt singularia, N. quia sunt contingentiæ & mutabilia, C. Scientia enim debet esse certa, & infallibilis. Theologia autem non agit de singularibus proit sunt incerta & mutabilia, sed proit subsunt divinæ revelationi, sub qua ratione sunt certa & immutabilia.

Dices 4. In qualibet scientia oportet de objecto supponere quid est; atqui de Deo, qui est objectum Theologia, non possumus scire, quid est: Ergo. Probatur Minor; quia juxta S. Th. 1. contra Gent. cap. 25. & rei veritatem, Deus definiti non potest: Ergo.

R. D. Minorem (*ex Opusc. cit. ad 2. & hic art. 7. ad 1.*) de Deo non possumus scire, quid est à priori, C. Minorem: per effectus, aut per revelationem, N. Minorem. Posita autem notitia quidditatis Dei per effectus seu per revelationem, demonstramus à priori ejus proprietates, que ex ejus natura tanquam a ratione à priori & causa virtuali dimanant. Unde, quando S. Th. loco citato cont. Gent. addit, quod non possit fieri demonstratio de Deo nisi per effectus, intelligit de demonstratione, que ad perfectam Dei definitionem & quidditatis notitiam reducat, non autem de demonstratione proprietatum illius: ut patet ex utroque loco, citato in margine.

Dico 2. Theologia Viatorum est proprie subalternata scientiæ Dei & Beatorum, que dicitur matutina. Est communis Thomistarum cum S. Thom. contra plures alios. *Hic art. 2. c.*

Nota: subalternatio scientiarum est dependentia unius ab alia. Multipliciter autem una scientia potest ab alia dependere; sed hic attendimus dependentiam unius ab altera in manifestatione veritatis, hæc est enim proprie dicta subalternatio scientiarum.

Dixi in conclusione: *scientiæ Beatorum, que dicitur matutina*; quia, ut art. 1. observavi, duplex est cognitio in Beatis. Una, qua clarè vident mysteria in verbo non discurrendo formaliter, sed eminentè tantum, & dicitur ab Augustino *Matutina*. Altera, qua ex principis lumine supernaturali notis varias conclusiones deducunt discurrendo formaliter, & dicitur *Vespertina*. Conclusio igitur est intelligenda de prima scientia Beatorum, non de secunda, que est substantialiter ipsa nostra Theologia in statu perfecto & connaturali.

Probatur. Tunc est scientiarum proprie dicta subordinatio, quando una pendet ab alia quoad evidentiam & manifestationem veritatis, seu suorum principiorum, ut dictum est; & patet in Musica, que proprie subordinatur Arithmetica, quia sua principia supponit probata & nota in arithmetica: similiter Perspectiva respectu Geometriæ: atqui Theologia nostra pendet a scientia Dei & Beatorum quoad manifestationem suorum principiorum, sicut Musica ab Arithmetica, & Perspectiva à Geometria: Ergo. Probatur Minor. Sicut Musica procedit ex principis notis in Arithmetica, & Perspectiva ex principis notis in Geometria, sic Theologia nostra procedit ex principis notis in scientia Dei & Beatorum; principia enim Theologia nostre sunt articuli fidei, qui sunt noti & manifestati in patria: Ergo. *Ibid.*

Dices 1. ad propriam scientiarum subalternationem requiritur, quod subalternata contrahat objectum subalternantis per aliquam differentiam accidentalem, que sit radix novæ scibilitatis seu novarum conclusionum; alias non forent scientiæ distinctæ, cum idem haberent objectum: atqui Theologia nostra non contrahat objectum Theologiae patriæ, scilicet Deum, per aliquam differentiam accidentalem, que sit radix novæ scibilitatis, seu novarum conclusionum, siquidem utraque Deum pro objecto respiciat: Ergo. Ità Tournely.

R. Majorem esse dumtaxat veram de scientiis naturalibus, que habent objecta imitata, secus, de scientiis ordinis supernaturalis, que habent objectum infinitum & illimitatum. Cum enim hæc conditio requiratur, ut subalternans & subalternata inter se distinguantur, objectum infinitum & illimitatum ratione suæ infinitatis sine additione differentia accidentalitatis potest habere plures modos scibilitatis, ratione quorum potest terminare plures & distinctas scientias. Adde, neque hæc conditio omnino deesse Theologiae nostre respectu Theologiae Beatorum; huic enim addit revelationem virtualem, seu discursum formalem ex principis immediate revelatis ad conclusiones mediate revelatas, tanquam differentiam accidentalem fundamenti diversum modum scibilitatis; cum è contra Beati quæcumque vident in verbo cognitione matutina, vident ut immediate revelata, nec discurrant formaliter, sed eminentè tantum, quatenus vident unum esse causam & rationem alterius.

Dices 2. Tunc una scientia proprie alteri subalternatur, quando conclusiones certas subalternantis supponit, & eas assumit in sua principia; unde communitè dicitur: ibi incipit Medicus, ubi desinit Physicus: atqui conclusiones scientiæ Beatorum non sunt principia nostre Theologiae, sed Beati tam bene quam nos ex principis deducunt conclusiones eicæ eadem res & veritates, quas nos ex principis deducimus: Ergo. Ità Dielman.

R. 1. ut antè, Majorem esse veram tantum de scientiis naturalibus; quia, si in his eadem forent principia & conclusiones subalternantis, & subalternatæ, cum sit aliunde in utraque eodem modo procedendi per lumen naturale, nulla foret inter eas distinctio. At, licet eadem forent principia & conclusiones Theologiae Beatorum & Viatorum, sufficienter distinguuntur ex diverso modo procedendi, una per lumen supernaturale, altera per lumen naturale: & cum hujus principia sint manifestata in priori, remanet subalternatio proprie dicta.

R. 2. Minorem esse veram de Theologia Beatorum, que dicitur cognitio vespertina; non de ea, que dicitur cognitio matutina, & cui subalternatur Theologia nostra; ista enim Beati vident immediate, & absque discursu formali, primario que pertinent ad Deum secundum se; secundario que pertinent ad mysteria, que procedunt a Deo, quorum rationes & causas vident in Deo. Hæc nobis revelata per fidem sunt principia Theologiae nostre. Quod si beati ex immediate visis in verbo illative deducant conclusiones easdem ac nostras (nec enim omnia

ip-

ipsis immediate revelantur intrà verbum) hoc non faciunt per Theologiam, que dicitur cognitio matutina, cui nostra subordinatur, sed per eam, que dicitur vespertina, & que est substantialiter eadem ac Theologia nostra.

Dices 3. Non est propria subalternatio inter scientiam & habitum primorum principiorum, ut docent Philosophi; atqui scientia beata est habitus primorum principiorum respectu Theologiae nostre: Ergo.

R. Scientiam beatam habere simul rationem habitus primorum principiorum & scientiæ. Habet rationem habitus primorum principiorum, quatenus uno & simplici intuitu fertur in essentiam divinam & in omnia alia, que ipsam spectant. Habet rationem scientiæ, quatenus ita videt divinam essentiam & ejus attributa, ut tamèn cognoscat unum esse causam virtualem alterius, sic enim est eminentè discursiva.

Ex his inferes, Theologiam nostram, quam hic magno labore comparamus, remansuram in patria; quia, cum sit subalternata Theologia Beatorum, petit naturaliter illi conjugi: unde illud trinitum S. Hieronymi Epist. ad Paulin. *Discamus in terris, quorum scientia nobis perseveret in Calis*. Ex quo ulterius inferes, eos, qui fuerunt in terra Theologi, cæteris paribus plura cognoscere in patria extra verbum per species in hac vita proprio labore parvas, quam illi, qui non fuerunt Theologi.

Dices contra hoc Consecrarium: fides non remanet in patria: ergo nec Theologia. Probatur consequentia: fides non remanet in patria, quia est obscura, in patria autem est evidentiæ: atqui Theologia est etiam obscura: ergo.

R. N. Conseq. Ad prob. D. Minorem: Theologia nostra est etiam obscura essentialiter & ratione sui, N. accidentaliter & ratione status, seu subjecti, C. unde perferitur in patria, & erit in suo statu naturali, sicut cum infans evadit vir.

Cum ergo Apostolus 1. ad Cor. 13. dicit: *Charitas nunquam excidit... Sive lingue cessabunt, sive scientia destruetur, non debet intelligi de destructione scientiæ quoad substantiam, sed vel quoad modum cognoscendi per conversionem ad phantasmata, vel quoad modum obscuritatis quam habet ratione status & subjecti: sicut cum dicitur Matth. 24. *cælum & terra transibunt, non est sensus quod destruentur quoad substantiam, sed quod innovabuntur quoad statum. In hunc loc. lect. 3.**

Si dicas, juxta hæc solutionem non subsistere discrimen ab Apostolo positum inter charitatem & scientiam; siquidem etiam charitas quantum ad modum imperfectum operandi per fidem excidit.

R. Nihilominus stare discrimen possumus: quia iste modus operandi per fidem non est essentialis neque habitus, neque actus charitatis. Operari enim operetur per amorem, & in eo situs sit ejus modus operandi, exigat essentialiter dumtaxat ut objectum sit cognitum; per accidens est autem, quod sit cognitum per fidem vel per visionem; unde in patria evacuatur tantum imperfectio charitatis, non modus ejus operandi, qui est in amore. At vero, cum modus operandi in scientia sit cognitio, & essentialiter cognitio in via fiat per conversionem ad phantasmata, cessante conversione ad phantasmata cessat modus operandi in scientia via; sique scientia quoad actum destruitur, non tamen quoad habitum, qui indifferens est, ut applicetur per conversionem ad phantasmata, vel sine illa.

ARTICULUS V.

Quænam sit objectum Theologiae?

Nota: objectum, seu, ut loquitur S. Thomas, subjectum, considerationis scilicet, & non inhesionis, duplex distinguitur in omni potentia vel habitu, nimirum materiale & formale: objectum materiale est id, quod a potentia vel habitu attingitur quidem non tamèn ratione sui, sed ratione alterius. Objectum formale est id, quod a potentia vel habitu attingitur ratione sui, & ratione cuius cætera attinguntur. In objecto formali duplex ratio debet distingui: ratio *que*; & est ipsa res que attingitur, & dicitur objectum formale *quod*; & ratio *qua* seu *sub qua*; & est id quod mediante ratio *que* attingitur: & dicitur objectum formale *quo*, seu *sub quo*; ita ut ex hac duplici ratione *que* & *qua* integretur objectum formale, quod est specificativum potentie vel habitus. Sit exemplum in potentia visiva; objectum ejus materiale est corpus; formale quod, color; formale quo, lux; formale specificativum, coloratum lucidum.

Dico 1. Objectum formale *quod* Theologiae est Deus, sub ratione Deitatis. *Ibid. art. 7.*

Prob. 1. Objectum formale *quod* alicujus scientiæ est id, quod principaliter & ratione sui queritur & attingitur a scientia, & ratione cuius cætera attinguntur; atqui Deus, ut Deus,

est id, quod principaliter & ratione sui attingitur a Theologia: est enim, ut dictum est, sermo seu consideratio de Deo; & ratione illius cætera in ea quaruntur & tractantur; que enim tractantur in Theologia vel sunt ipse Deus, vel dicunt ordinem ad Deum, sive ut proprietates ad essentiam, sive ut effectus ad causam, sive ut media ad finem, ut sunt actus humani, virtutes, Incarnatio, Sacramenta, &c. *Ibid.*

Prob. 2. Idem est objectum formale *quod* principiorum & totius scientiæ, cum tota scientia virtute contineatur in principis; atqui objectum formale *quod* principiorum Theologiae est Deus ut Deus; sunt enim articuli fidei, que, cum sit virtus Theologica, habet pro objecto formali *quod* Deum ut Deum, sive ut verum in essendo, quod idem est; verum enim in essendo & ens idem sunt. *Ibid.*

Dico 2. Objectum formale *quo* Theologiae est divina revelatio virtualis & mediate.

Antequam probetur, nota, dupliciter aliquid dici revelatum: 1. formaliter & immediate, ut Deum esse trinitum, esse incarnatum, &c. Virtualiter & mediate, quatenus continetur in aliquo formaliter & immediate revelato, vel ut effectus in causa, vel ut proprietas in essentia, vel aliter; ex quo per discursum vi luminis naturalis deducitur. Sic risibilitas in Christo est virtualiter & mediate revelata, quia per discursum naturalem deducitur ex immediate revelato, *Christus est homo*, tanquam proprietas est essentia: dicimus *ergo*, hæc virtuale & mediatum revelationem, seu vim luminis naturalis deducens conclusiones ex principis immediate revelatis esse objectum formale *sub quo* Theologiae; quia sub illa ratione & ex mediante attingit quæcumque tractat de Deo, sicut mediantè luce visus attingit quodvis corpus coloratum.

Probatur. Theologia distinguitur a Fide & Metaphysica, & est quasi media inter illas; atqui non distingueretur ab illis, nec inter illas medietur, si non haberet pro objecto formali *sub quo* revelationem virtualem: ergo. Probatur Minor: Si ejus ratio formalis *sub qua* esset revelatio immediata, non distingueretur à fide; sic solum lumen naturale, independentè a quacumque revelatione, non distingueretur a Metaphysica: ergo.

Dico 3. Objectum materiale adæquatum Theologie est omne, quod cadit sub divina revelatione virtuali & mediate.

Probatur. Objectum materiale adæquatum alicujus scientiæ est illud omne, quod potest attingere ratione objecti formalis *quod*, & ut subest objecto, seu rationi formali *sub qua*; atqui Theologia potest attingere & contemplari omne ens ratione Dei, quatenus subest revelationi virtuali & mediate: Ergo.

Dices 1. Contra primam Conclusionem: S. Th. in prologo Sententiarum q. 1. art. 4. dicit, ens divinum per revelationem cognoscibile esse objectum Theologiae: ergo.

Respondenti quidam, S. Thomam loquentum fuisse de objecto materiali & extensionis. Respondent alii, posuisse ens divinum proit est analogum, & supponere pro principali analogato, quod est Deus: idque patet ab exemplo *sani*, quod adhibet ibidem S. Doctor. Sed quidquid tenuerit S. Thomas junior, saltem certo constat, seniores sententiam nostram tenuisse in presenti articulo.

Dices 2. & simil. instabis: Omne, quod subest objecto formali *quo* alicujus scientiæ vel potentie, pertinet ad objectum ejus formale *quod*; atqui omne ens divinum subest aut subesse potest objecto formali *quo* Theologiae, nempe virtuali revelationi: ergo non solum Deus ut Deus, sed ens divinum est objectum formale *quod* Theologiae. Prob. Maj. ex aliis scientiis, & potentis; sic v. gr. quia abstractio ab omni materia est objectum formale *quo* Metaphysicæ, non solum Deus, sed omne ens, proit abstractum ab omni materia, est objectum ejus formale *quod*. Sic quia lux est objectum formale *quo* potentie visivæ, non aliquid particulare coloratum, sed omne coloratum, ut subest luci, est objectum formale *quod* potentie visivæ: Ergo.

R. D. Majorem: Omne, quod subest objecto formali *quo* alicujus scientiæ, pertinet ad ejus objectum formale *quod*, si attingatur ab illa scientia principaliter & ratione sui, C. Majorem: si minus principaliter, & ratione alterius N. Majorem. Theologia autem, quæ, ut nomen importat, est consideratio de Deo, ut fides, Deum principaliter & ratione sui attingit, cætera vero revelata ratione Dei & in ordine ad illud: unde, quamvis substantent rationi ejus formali *sub qua*, non pertinent nisi ad objectum ejus secundarium & materiale; seu, ut alii dicunt, ad objectum extensionis, non attributionis: & hinc est disparitas ab exemplis oppositis; in Metaphysica enim & in potentia visiva non est aliquid principale, quod per se & ratione sui attingitur, & ratione cuius cætera attinguntur, sed omne ens abstractum a materia per se & independentè ab alio attingitur a Metaphysica, sicut omne coloratum lucidum à potentia visiva. E contra, in Medicina v. gr. quia corpus sub ratione sanitatis attingitur principaliter & ratione sui, cætera vero

ut

ut pulsus, urina, medicamenta, &c. attinguntur minus principia- liter & ratione corporis sanandi; ideo hæc, quamvis substant eadem rationi formali sub qua medicinx, sunt tamen tantum ejus objectum secundarium & extensivum, solum autem corpus ut sanabile objectum formale quod.

Repones: si Deus de se nihil revelasset, sed de aliis tantum, remaneret fides & Theologia, sicut, si per impossibile, Deus non esset, remaneret Metaphysica: ergo.

R. D. Antecedens: Remaneret fides & Theologia ejusdem rationis ac eæ, quæ nunc sunt, N. Antecedens: non enim tunc Theologia foret consideratio de Deo, nec fides foret virtus Theologica. Diverse rationis, C. Antecedens. Remaneret autem eadem Metaphysica; quia Metaphysica, ut dictum est, non considerat Deum ut quid principale ratione sui, & alla ratione illius, sed omne ens ut abstractum ab omni materia.

Dices 3. Juxta Philosophos nulla scientia probat suum objectum, sed supponit; atqui Theologia probat, esse Deum: ergo.

R. D. Majorem: nulla scientia probat suum objectum à priori, & ex principiis intrinsicis, C. a posteriori, per effectus, & ex principiis aliunde mutatis, N. Theologia autem probat, esse Deum a posteriori per effectus, & ex principiis mutatis a Metaphysica. Adde, Deum ut auctorem supernaturalem esse objectum Theologiæ: sic verò non probatur, sed creditur.

Dices 4. Objectum formale specificativum alicujus scientiæ debet prædicari de omnibus partibus illius: sic v. gr. quia ens mobile est objectum Physicæ, verum est dicere de omni, de quo agit Physica, quod sit ens mobile. Item debet esse radix omnium proprietatum, quæ in ea demonstrantur; atqui Deus ut Deus non prædicatur de omnibus, de quibus agit Theologia, v. gr. de Angelis, homine, peccatis, &c. neque ut talis est radix omnium proprietatum, quæ in ea demonstrantur, v. gr. non est radix innascibilitatis, quæ est in Patre, alioquin conveniret etiam aliis personis: Ergo.

R. D. primam partem Majoris: objectum formale & specificativum alicujus scientiæ debet prædicari de omnibus partibus illius, semper in recto, N. in recto, vel in obliquo, C. & sic prædicatur Deus de omni, quod tractat Theologia; quia omnia, de quibus tractat, sunt vel ipse Deus, vel aliquid Dei, nimirum vel ejus proprietates, vel effectus, vel media ad ipsum ducentia & præmianda, aut ab ipso prohibita, avocantia, & puniendâ, ut peccata.

Ad secundam partem Majoris D. etiam: Objectum formale debet esse radix omnium proprietatum, vel secundum se, vel quatenus est determinatum in particularibus speciebus, C. secundum se semper, N. sic ens mobile, quod est objectum Physicæ, non secundum se, sed ut est determinatum ad celestia vel elementaria, est causa diversarum proprietatum, quæ in Physica demonstrantur. Ad hunc sensum D. Minorem: Deus sub ratione Deitatis secundum se non est radix innascibilitatis, C. ut est determinata ad personam Patris, & paternitatis relatione modificata, N. unde non sequitur, quod innascibilitas conveniat aliis personis.

Dices 5. Christus videtur esse objectum formale & adæquatum Theologiæ, juxta illud Apost. 1. ad Cor. 2. Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum: Ergo.

R. Apostolum non agere ibi de objecto Theologiæ, seu fidei; sed de modo, quo Corinthiis Evangelium annuntiavit: quatenus primum illis prædicavit, quæ spectant humanitatem & passionem Christi, ut per hæc manuduceret ad mysteria divinitatis: unde non dixit simpliciter: Non judicavi me scire aliquid nisi Jesum Christum; sed, Non judicavi me scire aliquid inter vos nisi, &c.

Ex his inferes, Theologiam hæreticorum non esse veram Theologiam, seu saltem non esse ejusdem rationis cum nostra; quia non habet idem objectum formale quo, scilicet, virtutalem & mediatam revelationem; non enim hæreticus elicit conclusiones ex principiis fidei divinæ creditis; quia hæreticus circa unum articulum non habet fidem de aliis articulis, sed opinionem quandam, secundum propriam voluntatem. 2. 2. quæst. 5. art. 3. o.

Neque refert, quod Theologia hæreticorum habeat idem objectum formale quod, scilicet Deum; quia objectum formale quod non specificat, nisi prout subest objecto formali sub quo. Non etiam refert, quod hæreticus videatur habere certitudinem, sicuti nos, de principiis & conclusionibus; quia illa certitudo non provenit ex motivo divinæ revelationis, quæ est necessaria ad veram Theologiam, sed vel ex pertinacia proprie voluntatis, vel ex eorum proprio judicio, quo judicant hunc vel illud articulum fidei esse acceptandum, non alios: si enim procederet ex motivo divinæ revelationis, omnes acceptarent.

Utrum Theologia sit habitus entitativè supernaturalis.

AD resolutionem hujus questionis plura sunt prænotanda. 1. Nota, id dici supernaturale, quod neque est à natura, neque naturæ proportionatum, sed supra naturam. Theologiæ habitum esse aliquo sensu supernaturalem, hoc est, ut communiter dicitur, radicaliter & objective, ultrò conceditur; quia ejus principia, quæ sunt articuli fidei, & ejus objectum quod est Deus, sunt secundum se supernaturalia, licet formaliter & reduplicativè quatenus sunt principia & objectum, non sint supernaturalia, ut modò dicam.

Nota 2. Ad effectum supernaturalem requiri, quòd causa sit supernaturalis; quia causa naturalis non potest dare supernaturalitatem, quam non habet. Item & maxime requiri, quòd causa hæc supernaturalis sit proxima, non remota; quia de qualitate effectus judicandum est secundum qualitatem causæ proximæ & immediatæ, non remotæ; eò quòd influxus causæ remotæ modificetur per influxum causæ proximæ, ut patet in sole, qui juxta diversas qualitates causarum proximarum producit diversos effectus, hic cerasa, illic poma: unde, si causa remota sit naturalis, & causa proxima sit supernaturalis, effectus erit supernaturalis; & e contra, si causa remota sit supernaturalis, & proxima sit naturalis: effectus erit naturalis: sic actus fidei v. gr. est supernaturalis; quia causa ejus proxima, scilicet fides, est supernaturalis, licet causa remota, nempe intellectus, sit naturalis: similiter actus charitatis est supernaturalis; quia causa ejus proxima, scilicet habitus charitatis, est supernaturalis, licet causa remota, nempe voluntas, sit naturalis.

Nota 3. Principia, & conclusionem suo modo concurrere ad producendum habitum scientiæ. Principia concurrunt efficienter, ut quo; quatenus assensus principiorum seu præmissarum determinat intellectum ad assensum conclusionis, ut docemus in Logica; qui assensus conclusionis, cum sit scientificus, sæpe reperitur generet habitum scientificum. Conclusio verò, ut illata ex præmissis, est objectum scientiæ, & consequenter ejus specificativum & constitutivum formale.

Nota 4. Principia Theologiæ, quæ sunt articuli fidei, posse dupliciter considerari; 1. entitativè in se ipsis, seu ut sunt in se absolute vera, & dicunt ordinem ad primam veritatem revelantem; & sic quidem sunt supernaturalia utpotè immediate revelata: sed sic non sunt principia Theologiæ formaliter, sed materialiter tantum & specificativè, quia sic non exercent rationem principii, cum sic nihil influant in conclusiones Theologiæ. Unde sic sumpta non sunt nisi mysteria fidei, quæ ad fidem, & non ad Theologiam proprie pertinent. Alio modo possunt considerari, quatenus dicunt ordinem ad conclusiones, quas virtualiter continent, & quæ ex ipsis mediante discursu naturali deducuntur, seu ut alii loquuntur, prout dicunt illationem activam; & sic quidem sunt formaliter principia Theologiæ, sed sic non sunt formaliter revelata, sed virtualiter tantum, seu potius revelantia, nec sic attinguntur à fide, sed à Theologia; proindeque sic non sunt formaliter supernaturalia, cum ista illatio activa, seu influxus sit naturalis; nihil enim est aliud quam discursus luminis naturalis inferentis unum ex alio: idem dic de objecto, ut patet ex secunda probatione, & ex solutione primi argumenti. His notatis.

Dico: Theologia est habitus entitativè naturalis. Est communis inter Theonistas contra Contensonum, & quosdam extraneos.

Prob. 1. Habitus humano studio, vel per actus naturales acquisitus, non est entitativè supernaturalis; atqui Theologia est habitus humano studio, seu per actus naturales acquisitus: Ergo. Major constat; quia effectus entitativè supernaturalis petit causam supernaturalem excedentem vires naturales; nemo enim dat, quod non habet. Minor 1. est D. Thom. hic art. 6. ad 3. in prologo Sententiarum q. unica art. 3. quæstionc. 3. & 2. 2. quæst. 54. art. 1. ad 2. 2. Experientia constat; cum videamus, eos solos evadere Theologos, qui studiosè incumbunt lectionibus, speculationibus, discursibus, & aliis litterarum exercitiis; non eos, qui otio indulgent. 3. Quia per laborem & exercitium studii Theologici, speculando nimirum principia fidei, & ex eis lumine atque discursu naturali varias conclusiones deducendo, acquiritur in intellectu nostro aliquid, quo percipimus & cognoscimus ea, quæ antea non cognoscebamus: atqui hoc ipsum est scientia Theologica: Ergo.

Respondent quidam, Theologiam non esse acquisitam, sed infusam, nihilominus actus nostros requiri non per modum causæ efficientis, sed dispositivæ dumtaxat. Sicut, inquit, licet charitas sit infusa, prærequiruntur tamen plures actus voluntatis tamquam dispositiones.

Sed

Sed contra 1. hæc responsio aperte contradicit S. Thomæ. 2. Est falsa, quia disposito ad aliquam formam debet esse ejusdem ordinis cum illa, alias nulla foret commensuratio, & proportio dispositionis ad formam: unde docent Theologi, nullum ex actibus nostris posse esse dispositionem ad gratiam, quia sunt diversi ordinis. Quantum ad charitatem: R. Actus, qui ad illam disponunt, esse supernaturales, utpotè ex auxilio supernaturali procedentes.

Prob. 2. Ille habitus non est supernaturalis, cujus principia, & objectum specificativum, formaliter ut talia, non sunt supernaturalia: atqui principia, & objectum specificativum Theologiæ, formaliter ut talia, non sunt supernaturalia: ergo. Min. quantum ad principia, patet ex ultimo notamine: probatur quantum ad objectum specificativum. Objectum formale quod non specificat, nisi prout substat objecto, seu rationi formali sub qua: atqui objectum formale sub quo Theologia est naturale, scilicet vis intellectus creati, deducens per discursum naturalem conclusiones ex principiis immediate revelatis: Ergo.

Dices 1. Ille habitus est entitativè supernaturalis, cujus principia, & objectum sunt supernaturalia; atqui principia, & objectum Theologiæ sunt supernaturalia: principia enim sunt articuli fidei, objectum est Deus: ergo. Ita Contensonus.

R. Solutionem hujus præcipui argumenti fuisse ex dictis. Et 1. Principia, quæ sunt articuli fidei, non influunt in conclusionem nisi remotè, & mediante discursu naturali; effectus autem, ut dictum est, magis sapit naturam causæ proximæ quam remotæ. Insuper ostendimus ea, quatenus sunt formaliter, & reduplicativè principia, non esse supernaturalia nisi materialiter. Similiter Deus non est objectum specificativum Theologiæ, ut diximus, nisi prout substat revelationi virtuali; & sic, ut est formaliter specificativum, esse quid naturale; est enim conclusio de Deo lumine naturali deducta ex principiis fidei.

Instabis: Lumen naturale deducens conclusiones ex principiis, sive discursus naturalis, non est causa conclusionis, sed mera conditio applicans principia revelata conclusionibus Theologicis: ergo ex illo repeti non potest tanquam causa naturalis habitus Theologicus. Probatur Antecedens: sic se habet discursus naturalis ad Theologiam, sicut præmissa naturalis in syllogismo Theologico; atqui præmissa naturalis est tantum conditio applicans principia conclusioni: ergo.

R. N. Antecedens: Ad probationem, N. Antecedens, & paritatem: disparitas est, quod præmissa naturalis (Hic art. 5.) requiritur in discursu Theologico per accidens, & propter defectum intellectus nostri, qui indiget instrui de continentia conclusionis in præmissa revelata, unde non est necessaria in Angelis & Beatis: discursus autem est essentialis cuicumque scientiæ, cum per illum constituitur in ratione scientiæ, & distinguatur ab habitu primorum principiorum, & specialiter Theologia a fide. Insuper, id est essentialia alicui rei, sine quo res nec esse, nec concipi potest; atqui sine discursu formali vel virtuali Theologia nec esse, nec concipi potest; potest autem esse & concipi sine præmissa naturali.

Repones: Dato, discursum esse essentialem scientiæ, atamen scientia non specificatur ab illo, sed a medio, quod in tali discursu assumitur: patet in habitibus opinionis, & scientiæ, qui, quamvis producantur per discursum, sunt tamen diverse speciei propter diversum medium assumptum, unum scilicet probabile, aliud demonstrativum: atqui medium in discursu Theologico est supernaturale.

R. Quod medium nihil aliud sit quam principia, seu præmissæ conjunctim sumptæ; sicque de illo dicendum est, quod in prima solutione diximus de principiis, scilicet, quò quatenus formaliter influens non sit supernaturale, sed naturale.

Dices 2. cum eodem Contensonò: Theologia iis insignitur dotibus, quæ non nisi sapientiæ supernaturali competere possunt. 1. Subalternatur scientiæ supernaturali Dei, & Beatorum: subalternata autem debet esse ejusdem ordinis cum subalternante. 2. Certitudo ejus est major omni certitudine naturali. 3. Adunat differentias scientiarum naturalium divisivas, nimirum, rationem speculationis & praxeos: unde etiam S. Th. hic art. 1. dicit, eam esse revelatam, & divinitus inspiratam: Ergo.

R. Ad primum, N. Minorem: cum enim scientia subalternata sit inferior subalternante, & ab ipsa dependeat, non requiritur, quòd sit ejusdem ordinis cum illa.

Si instes: Quod est ordinis naturalis non potest dicere habitudinem positivam ad id, quòd est supernaturale: alias non esset ratio, cur non possemus per actus naturales nos disporre positivè ad primam gratiam, aut eam mereri, quod est hæresis Pelagiana: atqui scientia subalternata dicitur habitudinem positivam ad subalternantem supernaturalem, & petit illi conjugari: ergo.

R. D. Majorem: quod est ordinis naturalis non potest di-

cere habitudinem positivam ad id, quòd est supernaturale, si ab illo supernaturali aliunde non dependeat, C. si dependeat, N. Sic v. gr. in illo, qui diu exercuit actus charitatis, amissa charitate per peccatum, remanet quadam naturalis dispositio ad eliciendos similes actus charitatis, ex quibus resultavit. Porro Theologia nostra dependet a scientia Beatorum in evidentiâ suorum principiorum, unde dicitur habitudinem ad illam: sed actus naturales non dependent a gratia, nec aliunde ullam connexionem habent cum illa, & ideo non possunt dicere habitudinem positivam ad illam.

Ad secundum; fateor, certitudinem Theologiæ esse majorem omni certitudine naturali, non quia est supernaturalis formaliter, sed radicaliter tantum, in quantum mediante discursu naturali resolvit suas conclusiones in principia fidei, a quibus mediante simili discursu deduxerat, de quo modò fusiùs.

Ad tertium R. eadem solutione: ad hoc ut Theologia sit simul speculativa & practica, non requirit quòd sit formaliter supernaturalis, sed sufficere quòd sit radicaliter & objective supernaturalis. Quatenus nempe radicatur in fide, quæ est simul speculativa & practica, & habet pro objecto Deum, qui, cum sit prima veritas & ultimus finis est prima regula speculationis & praxis, de quo etiam infra. Ad D. Thomam. R. Theologiam ab ipso dici revelatam & inspiratam, quia radicaliter est talis.

Utrum Theologia sit dignior aliis scientiis? Ubi de ejus certitudine.

SUPpono 1. Theologiam esse digniorem aliis scientiis practi- cis, quia inter scientias practicas illa est dignior, quæ ad ulteriorem finem non ordinatur; dignitas enim scientiæ practiciæ sumitur ex fine ad quem tendit: finis verò Theologiæ in quantum est practica, est beatus aeterna, ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum. Ibid. art. 5.

Suppono 2. Theologiam ex parte materiæ esse digniorem aliis scientiis speculativis, quia est principaliter de iis, quæ sua altitudine rationem transcendunt, nempe, de Deo, rebusque divinis. Nec obstat, quòd Metaphysicæ agat etiam de Deo; quia agit de Deo ut auctore naturali, & lumine naturali cognoscibili: Theologia verò de Deo ut auctore supernaturali, & lumine supernaturali cognoscibili. Ibid.

Verum, quia certitudo maxime confert ad dignitatem scientiæ; quæstio hic præcipue vertitur, utrum Theologia sit certior aliis scientiis, etiam habitum primorum principiorum. Pro quo

Nota. Theologi communiter distinguunt duplicem certitudinem unam objectivam, aliam subjectivam. Objectiva est firma, & invariabilis objecti determinatio in suo esse: illud enim objectum est certum & firmum in se, qui habet causas firmas & invariables suæ entitatis & veritatis, & penes causas majoris, vel minoris invariabilitatis est major, vel minor certitudo objectiva: de hac non agitur. (In 3. d. 26. q. 2. art. 4. o.) Certitudo subjectiva est firmitas adhesionis virtutis cognoscitivæ ad suam cognoscibile. Potest autem hæc firmitas oriri vel ex sola motione voluntatis determinantis intellectum ad inharendum, seu assentiendum alicui objecto independentè ab alio legitimo motivo, ut contingit in hæreticis, qui quandoquè firmius adherent suis erroribus, quam Catholici veritatibus fidei; & hæc est impropria certitudo, quæ magis debet dici pertinacia, quam certitudo. Vel oritur hæc firmitas ex efficacia medi, seu motivi determinantis intellectum ad assentiendum veritati; & hæc est propria certitudo, de qua queritur.

Notandum insuper, aliquid posse esse altero certius dupliciter: uno modo quoad se, quando nempe ex se & ex natura sua habet firmiores causas suæ certitudinis. Alio modo quoad nos, quando ejus certitudo est magis connaturalis & proportionata intellectui nostro, illumque satiat & quietat; quod contingit, quando certitudo oritur ex evidentiâ, quia evidentiâ est ultimum, in quo quiescit intellectus noster. Hic art. 5. ad 1.

Tandem operæ pretium est pro hac, & aliis questionibus, haberi accuratam notionem conclusionis Theologicæ, atque ejus distinctionem a propositione fidei. Propositio fidei est, quæ in verbo Dei, scripto vel tradito, formaliter & immediate revelatur, & ab Ecclesia Catholica ut revelata proponitur; si enim hæc secunda conditio desit, quamvis prima adsit, erit quidem fidei quoad se; non tamen quoad nos; quia sola Ecclesia est regula infallibilis in discernendis revelatis a non revelatis, ut alibi fusiùs explicatur. Conclusio Theologica est, quæ per discursum naturalem deducitur, vel ex duabus præmissis de fide, vel ex una de fide, & altera naturali certa, in quibus virtualiter continetur, unde est tantum mediata revelata. Dico & ex naturali certa; quia, si præmissa naturalis fo-

ret

ret tantum probabilis, sic etiam esset conclusio, eo quod ejus extrema uniretur tantum probabiliter uni medio in premissis ut si dicas: Omnis Discipulus diligit magistrum; Judas fuit discipulus Christi: ergo dilexit Christum: haec conclusio est tantum probabilis, imo falsa; consequenter non est conclusio Theologica, quae debet esse certa vera.

Porro conclusio potest virtualiter contineri in premissis dupliciter. 1. Ratione connexionis naturalis, hoc est, vel ut proprietatis in essentia, vel ut effectus in causa, ut si dicas: Omnis homo est risibilis; Christus est homo: ergo Christus est risibilis; haec conclusio continetur in premissis tanquam proprietatis in essentia, seu ratione connexionis naturalis, quam risibilitas habet cum homine. 2. Potest contineri virtualiter conclusio in premissis ratione significationis, hoc est, vel ut pars in toto, vel ut singulare in universali, vel ut implicatum in explicito terminis aequivalentibus expressum, ut si dicas: Christus pro omnibus mortuus est: ergo pro me mortuus est. Conclusio continetur in Antecedente, non ratione connexionis naturalis, sed ratione significationis, seu ut pars in toto, aut singulare in universali; qui enim dicit explicite totum aut universale, dicit implicite partem aut quoddam singulare. Similiter si dicas: Christus est unus substantia cum Patre: ergo est Patri consubstantialis; quia esse unus substantia, & esse consubstantialis, idem significant diversis terminis. Hujusmodi autem conclusio non est proprie & stricte conclusio, quae a notioribus ad minus nota debet procedere, sed est potius explicatio significationis premissarum, & est immediate revelata, & ideo certitudine fidei, & ad fidem pertinet: igitur questio nostra est tantum de conclusione stricte dicta, seu contenta virtualiter in premissis ratione connexionis. His notatis & suppositis.

Dico 1. Theologia, sive quoad habitum, sive quoad actum seu conclusionem, est certior quoad se omnibus aliis Scientiis naturalibus, etiam habitu primorum principiorum; non tamen quoad nos. Ibid.

Probatum prima pars. Theologia certitudinem habet ex lumine divine scientiae seu ex revelatione divina, in quam ultimatè resolvitur, & quae falli non potest: aliae autem scientiae naturales certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae, quae (quavis objectum, circa quod versatur, sit quandoque certissimum) est tamen tenebris per peccatum obvoluta & erroris obnoxia: Ergo. Ibid.

Probatum 2. Pars. Illud est magis certum quoad nos, quod plenius consequitur intellectus, quod est illi magis connaturale & proportionatum, quodque ipsum magis satiat & quietat: atque conclusiones scientiarum naturalium sunt magis connaturales & proportionatae intellectui humano, magis ab ipso penetrantur, magis ipsum satiant & quietant propter eorum evidentiam, in qua, ut dixi, nihil quiescit intellectus humanus, quam conclusio Theologica, quae est obscura & invidens, utpote innixa fidei. Imo fides ipsa, quae ex parte moti est certissima, patitur quandoque motus dubitationis indeliberatos propter debilitatem ingenii, nondum videntis veritatem: Ergo. Ibid. ad 1. & 2. quest. 4. art. 8. o.

Dico 2. Quavis conclusio proprie Theologica sit certior aliis scientiis naturalibus, non est tamen formaliter, quia conclusio, certa certitudine supernaturali fidei, nec pertinet ad fidem.

Sequitur ex dictis: Implicat enim essentiae naturalis esse proprietatem supernaturalem. Theologia autem est habitus entitativè naturalis, ut dictum est, cujus proprietates est certitudo: ergo. Sed insuper.

Probatum: Conclusio Theologica, reduplicativè quae talis, non est immediatè revelata, nec solo fidei motivo nititur; sed est tantum virtualiter & mediatè revelata in suis premissis, ex quibus per discursum humanum deducitur: unde illi assentimur, non præcisè propter revelationem, sed quia lumine naturali percipimus esse connexam cum veritate revelata: atque fides seu certitudo supernaturalis fidei innitit soli & immediatè revelationi: ergo.

Dicitur: Conclusio Theologica formaliter & reduplicativè quae talis, id est, reduplicativè ut illata ex premissis per discursum: quia specificativè & materialiter sumpta potest esse de fide, si nempe aliunde sit immediatè revelata & ab Ecclesia definita, ut patet in hoc syllogismo: Duplex natura duplex est voluntas; atque in Christo est duplex natura: ergo duplex voluntas. Haec conclusio, quavis formaliter ut conclusio, non sit de fide; materialiter tamen sumpta est de fide, quia est ab Ecclesia definita contra Monothelitas.

Obijctis 1. contra primam partem primae conclusionis. Dato, quod conclusio Theologica illata ex duabus premissis de fide sit certior quavis scientia naturali, saltem illa, quae deducitur ex una premissa de fide, & ex altera naturali non videtur certior: Ergo. Probatum Antecedens: premissa naturalis est causa certitudinis conclusionis; atque, quod est causa certi-

tudinis alicujus conclusionis, est certius illa, ex hoc vulgari axioma, Propter quod unumquodque tale & illud magis: ergo.

R. N. Antecedens. Ad probationem D. Majorem: premissa naturalis est causa adequata certitudinis conclusionis, N. Majorem; causa inadeguata, C. Majorem: & ad hunc sensum distincta Minor N. Consequentiam. Axioma autem allatum intelligitur potissimum de causa formali; & estò intelligeretur de causa efficiente, deberet intelligi de causa adequata, non inadeguata, ut patet in generatione muli.

Subsumes: Atque effectus in praesenti materia debet conformari cause inadeguatae: ergo. Probatum Anteced. ex hoc altero communi principio: Conclusio sequitur debiliorem partem: Ergo.

R. 1. N. Antecedens. Ad probationem R. non unam esse hujus axiomatis intelligentiam. Quidam illud restringunt ad quantitatem & qualitatem premissarum, ita ut si premissarum una sit universalis, altera particularis, una affirmativa, altera negativa conclusio sit particularis aut negativa. Alii, & bene, intelligunt de premissa debiliore secundum se & solitarie sumpta, non verò ut conjuncta & subordinata propositioni de fide, ex cuius nempe consortio elevatur & certior evadit, si non intrinsecè, saltem extrinsecè, in quantum deservit formaliter propositioni fidei tanquam instrumentum ejus ad inferendam conclusionem: certius enim assensum veritati demonstrat, si eam novimus approbati a gravi & maxime ab infallibili auctoritate. Neque tamen inde sequitur, premissam tantum opinativam seu probabilis posse etiam sic elevari; quia propositio opinativa non est capax certitudinis, si enim fieret certa, destrueretur ut opinativa.

Ceterum, quidquid sit de istis solutionibus, R. 2. etiam in praesenti causa axioma verificari, & conclusionem eatenus sequi debiliorem partem, quatenus est minus certa quam premissa de fide, & quam si inferretur ex duabus premissis de fide, licet tamen sit certior quam ipsa premissa naturalis, aut quam si inferretur ex duabus premissis naturalibus.

Obijctis 2. Conclusio Theologica non est certior saltem habitu primorum principiorum, qualia sunt; Quodlibet est, vel non est; Totum est majus sua parte, & similia: ergo. Probatum Antecedens. 1. Principia sunt certissima; certissimo autem nihil est certius. 2. In assensu primorum principiorum intellectus operatur per modum naturae, in assensu autem conclusionis operatur liberè; atque intellectus agens necessariò & per modum naturae immobilis operatur, quam dum agit liberè: ergo. 3. Primorum principiorum notitia habetur sine discursu ex sola apprehensione terminorum, unde est certa ex se. Notitia vero conclusionis habita per discursum est certa ab alio & per participationem principiorum: atque, quod est ex se certum, certius est eò quod est certum per aliud: ergo 4. Circa prima principia nulla unquam dubitatio oritur: circa vero conclusiones Theologicas multa oriuntur dubia, multae controversiae, ut experientia constat: Ergo.

R. N. Antecedens ad primam probationem D. Maj. prima principia sunt certissima certitudine objectiva, de qua non agitur, C. certitudine subjectiva & ex parte motivi, de qua agitur, N. Ad secundum D. Min. Intellectus agens naturaliter immobilis operatur, quam dum agit liberè in eodem ordine, C. in diverso & superiori ordine. N. Sic intellectus, assentiens liberè, rebus supernaturalibus fidei ex motione gratiae, firmius operatur quam dum necessariò assentitur primis principiis; quia gratia quantum ex se firmius & magis idefectibiliter, licet liberè moveret ad actus supernaturales, quam natura impellens necessariò ad actus naturales. Conclusio autem Theologica, quavis sit entitativè naturalis, est tamen originativè supernaturalis, utpote innixa fidei & reducibilis ad principia supernaturalia, cui non potest subesse falsum. Neque refert, quod lumen rationis, quo veritatem primorum principiorum percipimus, sit etiam a Deo, sicut lumen fidei: est enim in hoc disparitas, quod lumen rationis sit a Deo ut causa exemplari & efficiente, equidem in ortu suo purum & lucidum, sed per peccatum obscuratum & variis erroribus obnoxium. Lumen autem fidei est a Deo, ut a prima veritate in dicendo, quae proinde nec fallere, nec falli potest.

Ad tertiam potest Minor alterutra solutio praecedens adhiberi: 1. sic distinguendo: quod est ex se certum, certius est objective eo, quod est certum per aliud, C. certius est subjective, N. Vel sic: quod est ex se certum certius est eo, quod est certum per aliud, in eodem ordine, C. in diverso & superiore ordine, N.

Ad quartam D. Ant. Circa conclusiones Theologicas multae oriuntur dubia, multae controversiae ex defectu motivi, N. ex defectu intellectus, qui non quiescit nisi in evidenti, C. Ex quo sequitur, quod licet Theologia sit certior quoad se, non tamen quoad nos, ut dictum est in conclusione. Insuper advertendum, quod multae controversiae moveantur in Theologia circa conclusiones, quae non sunt verè Theologicae, quia non sunt de-

deducta ex duabus premissis de fide, aut ex una de fide & altera naturali certa. Et quantum ad eas, quae moventur circa conclusiones merè Theologicas, sapè contingunt non ex animo dubitante, sed gratia veritatis magis elucidandae & ingenii exercendi.

Petes, utrum propositio, deducta ex duabus propositionibus mediatè tantum revelatis, debeat adhuc censeri Theologica?

R. Affirmative, etsi forte non ita strictè. Quia adhuc deducuntur sub revelatione virtuali, licet non immediatè, & potest reduci saltem mediatè in formaliter revelata. Sicut in scientiis naturalibus est vera demonstratio, quamvis procedat ex principis mediatè tantum per se notis: alioquin paucissimae forent verae demonstrationes.

Obijctis 3. contra secundam conclusionem. In hoc syllogismo: Omnis homo est risibilis; atque Christus est homo: ergo Christus est risibilis, conclusio pertinet ad fidem: ergo. Probatum Antecedens: haec conclusio pertinet ad fidem, quam qui negat est haereticus; atque, qui negaret hanc conclusionem, Christus est risibilis, foret haereticus: Ergo.

R. N. Antecedens: ad probationem D. Minorem: qui negaret hanc conclusionem foret haereticus formaliter, N. non est enim fides; praesumptivè seu illativè, C. quia, qui negat aliquam conclusionem, ideo negat, vel quia non percipit connexionem inter illam & premissas, vel quia negat premissas; & cum in hoc syllogismo connexio inter premissas, & conclusionem sit necessaria & evidens, qui negaret conclusionem praesumeretur negare non connexionem, sed hanc premissam, Christus est homo: & ideo dico, quod foret praesumptivè seu illativè haereticus.

Instabis: Qui in hoc discursu: Christus est mortuus pro omnibus: ergo est mortuus pro me, negaret conclusionem, foret formaliter haereticus præcisè quia negaret hanc conclusionem; atque haec conclusio est Theologica: ergo. Probatum: est deducta ex immediatè revelatis: ergo.

R. N. Minorem. Ad probationem D. Antecedens: est deducta ex immediatè revelatis ratione connexionis & per veram illationem ex notioribus, N. ratione significationis & per nudam explanationem premissae, C. qui enim dicit, Christum esse mortuum pro omnibus, dicit, si non quoad verba, saltem quoad sensum, esse mortuum pro illo & illo, & singulari. Unde haec propositio: Christus est mortuus pro me, est immediatè revelata quoad sensum, ut dictum est in notamiibus.

ARTICULUS VIII.

Leviore difficultates, quae supersunt ex quaestione Divi Thomae, breviter resolvuntur.

Quæritur 1. Utrum Theologia sit una specie scientia?

R. Affirmative. Hic art. 3. o. Ibid.

Probatum: Scientie desumunt suam unitatem specificam ab objecto, non materiali, sed formali; atque Theologiae est unicum objectum formale quod & quo: ergo. Probatum Minor: obiectum formale quod Theologiae est Deus sub ratione deitatis, in ordine ad quem cetera attingit. Obiectum formale quo, seu sub quo est revelatio divina, mediata scilicet, & virtualis, ita ut nihil attingat nisi sub hac ratione formali; patet ex antecedentibus. Sicut ergo potentia visiva est unica, quia, licet plura materialiter diversa, puta hominem, equum, &c. respiciat, omnia tamen respicit sub una ratione colorati lucidi. Sic Theologia est specie una, quia, licet multa materialiter diversa respiciat, omnia tamen respicit sub una ratione formali virtualis & mediatae relationis.

Dices: In syllogismo Theologico, cujus una premissa est naturalis & altera supernaturalis, sunt duo lumina, unum supernaturale, scilicet fides, aliud naturale: in syllogismo autem, cujus duae premissae sunt supernaturales, est unicum lumen scilicet supernaturale fidei; atque lumina premissarum influunt in conclusionem: ergo conclusio illata ex duabus premissis, quarum una est naturalis, altera supernaturalis, est diversa ab ea, quae inferitur ex duabus premissis supernaturalibus.

R. Ista duo lumina esse sibi subordinata, scilicet, naturale supernaturali, tanquam habitui primorum principiorum, & ideo non influere in conclusionem nisi sub eadem ratione formalis & mediatae relationis; non secus ac si duae premissae essent supernaturales.

Quæritur 2. Utrum Theologia sit simul speculativa & practica?

R. Esse simul speculativam & practicam; quia attingit speculabilia & practica sub una & eadem ratione divine revelationis. Est tamen magis speculativa quam practica; quia principallius agit de rebus divinis, quam de actibus humanis. Ibid. art. 4. o.

Hic sicut S. Doctor: verum quidam ex ejus discipulis ulte Theol. Billuart. Pars Prima.

rius quaerunt, an utramque dotem possideat simpliciter formaliter, an tantum unam simpliciter & aliam secundum quid: ut respondent ut plurimum, quod utramque habeat simpliciter, sed formaliter eminentè. Et cum obijctur, practicum, & speculativum esse differentias essentialiter oppositas, quae uni scientiae non possunt competere, quidam negant Antecedens, & dicunt esse tantum accidentales. Alii respondent, esse differentias scientiarum naturalium tantum divisivas; non verò scientiae, cujus objectum est infinitum; & ea, quae in inferioribus dispersa sunt, in superioribus adunari.

Equidem, si consideretur Theologia prout respicit diversa objecta particularia, continetur diversos tractatus speculationis & praxos, indubium est, quod sit simpliciter speculativa & practica. Sed, si consideretur prout est unus & simplex habitus, videtur nobis probabilis, & S. Thomae conformis, quod sit simpliciter speculativa, & secundum quid practica. Ratio est: quia haec scientia est simpliciter speculativa & secundum quid practica, cujus finis intrinsecus ultimus & primarius est speculatio, & si quid circa praxim tractet, ad speculationem ordinat; atque talis est Theologia: ergo. Prob. Min. finis intrinsecus Theologiae ultimus & primarius est aeterna beatitudo, seu possessio Dei, quae juxta D. Thomam & Thomistas consistit in visione & contemplatione Dei, & omnia practabilia, de quibus agit, ad hunc finem refert. Principallius, inquit S. Doctor hic 6. o. agit de rebus divinis quam de actibus humanis, de quibus agit secundum quod per eos ordinatur homo ad perfectum Dei cognitionem, in qua aeterna beatitudo consistit: Ergo.

Quæritur 3. Utrum Theologia nostra sit sapientia?

R. Affirmative. Ibid. art. 6. o. Quia sapientia est scientia considerans causas altissimas; hoc enim unum duntaxat addit sapientia scientiae communiter sumptae: unde ille sapiens dicitur in unoquoque genere, qui considerat causam altissimam istius generis; ut in genere aedificii artifex, qui disponit formam domus, dicitur sapiens, & Architectus respectu inferiorum artificum; qui dolant ligna, vel parant lapides: atque Theologia considerat causam altissimam in omni genere, nempe Deum, & sub ratione altissima, scilicet divina revelatione: ergo.

Quæritur 4. Utrum Theologia sit argumentativa?

R. Affirmative. Ibid. art. 8. 8. Sequitur ex praecedentibus. Etenim omnis scientia est argumentativa, quia omnis scientia deducit conclusiones ex principis, quod est argumentari; atque Theologia est scientia, ut probatum est: ergo. Confer art. 4. hujus Dissertationis.

Quæritur 5. Utrum Theologia argumentetur ad probanda sua principia?

R. Quod, sicut aliae scientiae non argumentantur ad sua principia probanda, sed ex principis argumentantur ad ostendendum alia; ita Theologia non argumentatur ad probanda sua principia, quae sunt articuli fidei, sed ex eis procedit ad aliquid ostendendum. Ibid.

Et quavis scientiae naturales possint probare sua principia a posteriori, seu per effectus, id tamen non potest Theologia. Ratio disparitatis est: quod proportio inter effectus & causas naturales cognoscatur lumine naturali, non autem inter supernaturales. Potest autem Theologia sua principia explicare similitudinibus & exemplis. Sic Apost. 1. ad Cor. 15. explicat futuram resurrectionem exemplo grani, quod seminatur & reviviscit in alia forma. Sic SS. Patres explierunt mysterium Sanctissimae Trinitatis exemplo Solis emittentis lucem. Integritatem B. Virginis exemplo radii transeuntis per crystallum. Item probat evidentè suorum principium credibilitatem per varia motiva credibilitatis, de quibus alibi.

Insuper advertendum est, quod, quavis in scientiis naturalibus scientiae inferiores nec probent sua principia, nec contra negantem principia disputent, sed hoc relinquunt superiori scientiae; suprema tamen inter eas, scilicet Metaphysica, disputat contra negantem sua principia, si adversarius aliquid concedit; si autem nihil concedat, non potest contra eum disputare probando, potest tamen solvere rationes ipsius. Similiter Theologia, cum non habeat superiorem, disputat cum negante sua principia, argumentando quidem & probando unum negatum per aliud concessum, si adversarius aliquid concedat, ut faciunt haeretici & Judaei. Si autem adversarius nihil concedat, ut sunt Infideles, non restat amplius via ad probandum positivè sua principia seu articulos fidei per rationes, sed negativè scilicet ad solvendum rationes, si quas adducit contra illa: cum enim fides infallibili veritati nitatur, impossibile autem sit de vero manifestari contrarium; manifestum est probationes, quae contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta. Ibid.

Id tamen sic intellige, non quod Theologus possit evidentè ostendere falsitatem argumenti, quod proponitur contra fidem, evidentia, ut dicunt, intrinseca: alioquin deberet ostendere evidentè veritatem oppositam, quod fieri non potest, cum